

<https://www.thelatinlibrary.com/ter.adel.html>

SYRVS DEMEA MICIO AESCHINVS
(SERVOS SENES DVO ADULESCENS)

SY. Factumst quod iussisti, Demea. 958

DE. Frugi homo's. ergo edepol hodie mea quidem sententia iudico Syrum fieri esse aequom liberum. **MI.** Istunc liberum? quodnam ob factum? **DE.** Multa. **SY.** o noster Demea, edepol uir bonus: ego istos uobis usque a pueris curauit ambos sedulo; docui, monui, bene praecepi semper quae potui omnia.

DE. Res apparet: et quidem porro haec, opsonare cum fide, scortum adducere, adparare de die conuiuium: non mediocris hominis haec sunt officia. **SY.** O lepidum caput!

DE. Postremo hodie in psaltria ista emunda hic adiutor fuit, hic curauit: prodesse aequomst. alii meliores erunt. denique hic uolt fieri. **MI.** Vin tu hoc fieri? **AE.** Cupio. **MI.** Si quidem tu uis: Syre, eho accede huc ad me: liber esto. **SY.** Bene facis; omnibus gratiam habeo, et seorsum tibi praeterea, Demea.

DE. Gaudeo. **AE.** Et ego. **SY.** Credo: utinam hoc perpetuom fiat gaudium, Phrygiam ut uxorem meam una mecum uideam liberam!

DE. Optumam istam mulierem. **SY.** Et quidem tuo nepoti huius filio hodie prima mammam dedit haec. **DE.** Hercle uero serio, siquidem prima dedit, hau dubiumst quin emitti aequom siet.

MI. Ob eam rem? **DE.** Ob eam: postremo a me argentum quantist sumito. 977